

H.

VIRO  
PERQVAM REVERENDO ATq; CLARISSIMO,  
DOMINO  
**SAMVELI FRIDERICO**  
**LAVTERBACHIO,**  
ECCLESIASTAE FRAVSTADIENSI PRAE-  
CLARE MERENTI,  
EXCESSVM,  
QUI THORVNII D. II. SEPT. ANNO cīc 1000.  
ACCIDIT,  
**SVI EXSORORE NEPOTIS,**  
ELEGANTIA INGENII ET SANCTIMONIA MORVM  
MAXIME CONSPICVI IVVENIS,  
**SAMVELIS BACHMANNI,**  
SACRARVM LITERARVM STVDIOSI  
IN GYMNASIO THORVNIENSI,  
GRAVISSIME LVGENTI,  
AMICI AFFECTVM, OFFICI IQVE PARTES  
DECLARARE VOLVIT  
**M.P.IAENICHIUS, GYM. THOR. RECT. & P.P.**



THORVNII,  
IMPRESSIT JOANNES NICOLAI, NOB. SEN. ET GYMN. TYPOCR.



Dmoneri me intelligo vel maxime,  
repentino Bachmanni obitu, misera-  
ram esse Parentum conditionem,  
cum proborum acerba filiorum evi-  
ta decedentium funera deplorant, &  
amisso illorum praesidio voluptatis  
que spe suo libenter moerori obsequuntur. Enim ve-  
ro, pia Beati mater, cognita ipsius morte, adeo contur-  
bata doloris sensu ingemuit, ut brevi ex insperato ter-  
rore, quem triste incusserat nuntium, extingueretur.  
Atque ita suo comprobavit exemplo, nihil in rebus  
humanis facile esse, quod tantum luctum lenire, nedum  
exhaurire universum, vulnusque tam grave sanare  
penitus queat. Tibi autem, Vir perquam Reveren-  
de, vere, quod in literis tuis ad me datis dixisti, usu  
venit, quanquam non sine animi Tui molestia perfe-  
rendum: Nullam calamitatem esse solam. Illa enim  
duplex clades tanto sine dubio gravior accidit, quan-  
to praesertim in sororis nepote, egregiae indolis juvenc-  
speram ampliorem collocabas. Quem fecisset utinam  
Deus immortalis, reddere potuisse ad tuam expe-  
ctationis mentisque formam bonarum artium studiis  
perpolitum. Elapsus est annus jam alter, ex quo no-  
stra eum curae commendares, & meam ipsi potissi-  
mum voluntatem jurandis, promptitudinem concilia-  
tam velles, unde ipse omni contentione in eam remin-  
cendum mihi esse putavi, ne unquam se ulla in re,  
sicubi opus fuit, desertum a me sentiret. Tanto minus

segnior

segnior hac in parte fui, tum ob muneris mei rationem,  
tum ob illam veterem, qua conjunctus cum B. Socero  
meo, Ioanne Grandavio in Academia Vitembergen-  
si vixisti, familiaritatem, tum propter ipsius Iurenis  
honesti indolem integritatemque morum. Addixit se  
mibi speciatim, audiendique fidem privatam obliga-  
vit, multa aviditate ea arripiens, quae tradebantur.  
Invaluit alioqui plerumque, aetate proiectiori multo  
damno expiandum, cacoethes inter discentes, quando  
aut doceret, velut alterum Aeolum in libero aere de-  
clamitantem ad vacua subsellia relinquent, aut alte-  
ra aure tantum praeceptiones, quae instillantur, salu-  
tares, peregrinante interim animo, auscultant. Alii  
ingenii felicitate confisi frustra, Pythagoricos forte ae-  
mulati, nihil intra libellos colligunt, & futuro usui  
servant. Non quidem arguit ubique prudentiam do-  
centis, rerum vel centies exscriptarum mole aggrava-  
re discentium chartas, & irreparabili temporis jactu-  
ra utilitatibus eorum obesse, nullos tamen unquam  
uelle, data occasione comparare calamo scientiarum  
thesauros, aut non satis diligentis, aut vana opinione  
laborantis praefidentisque documentum esse putamus.  
A qua perversitate beatus hoc longius se removit, quo  
diligentius se sua industria a vulgo distinxit. Tan-  
tum illud sibi profuturum existimavit, quod aut al-  
tius memoriae infixum teneret, aut consignatum cum  
cura suum fecisset. Veram incorruptamq; pietatem ac  
constantiam obsequendi ne invidi quidem disimula-  
bunt.

bunt, cum testes praesto sint vivi. Eam sibi propriam  
sigillatim fecit laudem, quod nemini, quantum scio, gra-  
vis fuerit, vel morum vanitate, vel familiari admo-  
dum iuuentuti vitio, leviter & inconsulte agendo.  
Maturius ei modestiae morum assuetus, quam scien-  
tia divinarum rerum, quarum desiderio & exercita-  
tione delectatus est unice, sibi poscit. Quod si, tam bene  
constituta studii ingrediendi consilio, vigori mentis par-  
corporis robur contigisset iuveni, sua sponte amplissi-  
mum laudis spatium definire potuisset, ingenio, probi-  
tate, rectisque studiis postferendus nemini. At a di-  
vina voluntate, cuius arbitrio e statione migravit, non  
se iunctae eius debebant esse rationes. Extra calamiti-  
ates omnes iam vivit securus ac quietus & pestilen-  
tissimo, longeque gravissimo anno praeter opinionem  
superato, ex hac rerum vicissitudine ac miserrima  
vitae conditione eruptus, triumphat. Neque credo,  
cum nihil mali beato tam feliciter ex miseria egredi-  
enti, contigisse existimare potes, quin multum ex do-  
lore Tuo, Fautor honorande, sit diminutum. Nam,  
ut Deo pareas, suadet tua pietas, prudentia tua ne  
dolori succumbas. De cetero ex animo precor, ut  
divinae clementiae auxilio adiutus, sacri coetus bono,  
inter frequentes Mortis ac Martis vexationes, qui-  
bus exerceatur Polonia pariter ac Prussia, salvus in-  
columisque quam diutissime supersis. Vale! Da-  
bam Thorunii in Prussis Eid. Octobr. Anno CICCCX.

•os(O)s•

3861